

STEPHANVS EPISCOPVS LEODIENSIS.



Stephanus Metensis Ecclesiæ sacerdos fuit, ubi etiam eruditione et pietate cunctos alios superauit. erat enim in diuinis & humanis literis supra modum eruditus, præterea non minus sanctitate quam scientia conspicuus. Vnde cum Franco Episcopus Leodiensis esset mortuus, is in eius locum surrogatus est. Eam functionem magna prudentia administrauit, atque nihilominus libris scribendis posteritati consuluit. Inter alia composuit hymnum de sancta trinitate, quo postea Ecclesia in octauis pentecostes diu usa est. præterea alium de S. Steffano, et Lamperto Episcopo et martyre, eos cum dulci modulatione ordinauit. Claruit is